

sententiam (ut dictum est supra numer. 12), aut etiam scribunt, dictant, vel consulunt, aut aliquod auxilium præstant, ut quis occidatur, aut mutiletur, vel etiam qui executioni mortis, aut mutilationis corporaliter, et auctoritative præsentibus sunt, ipso facto irregulares sunt, possuntque privari officio, et beneficio, c. *Clericis*, 5, h. t. et c. *Sententiam*, 9, eod. juncto c. *Ex litteris de Excessib. prælat.*, ac ibi doctores, ex quibus tamen Abbas in cit. c. 9. h. t. in 6; Hostiensis, et alii cum Glossa communiter recepta in c. 9, h. t. §. *Sanguinis*, ad finem, bene advertunt, quod ad hoc, ut quis ob præsentiam corporalem fiat irregularis, debeat auctoritative, et judicialiter interesse, et aliquo modo auxilium præstare; consequenter eum qui executioni sanguinis sine ulla cooperatione interest, et præcise spectatorem agit, non fieri irregularem, quamvis nihilominus illicite agat, et tanquam contra præceptum sacrorum Canonum alias puniri valeat; nisi specialiter assistens Reo, adesset.

22. Resp. V. Clericus, aut religiosus illite (juxta dicta num. 16) chirurgiam exercens, si ex ea mors sequatur, est irregularis, etiamsi sit eritus, et diligens, et hoc fecerit

causa pietatis, ita summarium, et textus c. *Tua nos, de Homicid.* Concordat c. *Sententiam*, h. t. Pariter irregularis est clericus, aut religiosus, qui artem medicam exercet, aut medicinam præbet aliis, casu quo perceptis medicinis mors sequatur, c. *Ad aures de Ætate et qualitat.*, ubi nota cum Abbate, in c. 9, h. t. num. 23, clericum, ac religiosum incurrere irregularitatem, si post datam medicinam, vel adhibitam chirurgiam mors, aut mutilatio sequatur, etsi ipse non fuerit in culpa; quia dedit operam rei illicitæ, ob quam imputatur etiam casus absque alia culpa agentis contingens, arg. cit. c. *Tua nos, de Homicid.* Quod si tamen aut mutilatio non sequatur, irregularis non est clericus, aut religiosus exercens chirurgiam, aut medicinam: quamvis nihilominus peccet. Abbas, et alii, nisi in casu necessitatis, ac deficientibus aliis medicis aut chirurgis, pietatis causa faciat juxta dicta num. 16.

Atque hæc in tertium Librum decretalium dicta sufficiant, cedantque ad Laudem et Gloriam Dei, cui soli Benedictio et Claritas, et Sapientia, et Gratiarum actio, Honor, Virtus et Fortitudo in sæcula sæculorum. Amen.

LIBER QUARTUS

DECRETALIU

PRÆFATIO.

Quoniam in tertio Decretalium libro potissimum actum fuit de iis, quæ clericos tam regulares, quam sæculares concernunt, ordo exigit, ut in hoc quarto Decretalium libro præcipue agatur de materiis laicos concernentibus, non quidem omnibus (hoc enim spectat ad jus civile) sed de iis, quæ quamvis laicis sint propriæ, tamen ad forum et judicium pertinent Ecclesiæ; cujusmodi sunt sponsalia, matrimonia, et eis annexa; hæc siquidem licet solos inter laicos regulariter reperiantur, laicisque propria existant, tamen ad tribunal pertinent ecclesiasticum, uti patet non solum ex can. *Multorum*, 10, dist. 35, q. 6, et *Accedentibus*, 12, de *Excess. prælat.*, sed etiam novissime definitum est in concilio Trident. sess. 24, can. 12, ibi: « Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad iudices ecclesiasticos, anathema sit. »

Ut autem liber hic quartus de sponsalibus, matrimonio, et annexis principaliter agens, pro foro ecclesiastico, ubi materia hæc scitu summe necessaria continuo occurrit, practice magis quadret, illa præcipue tractanda seligemus, et uberius explanare juvante Deo conabimur, quæ iudicibus in foro ac tribunali ecclesiastico pro praxi magis servient, prætermittendo, aut nonnisi breviter

tangendo illa, quæ scitu vel minus utilia, vel in Theologia tam speculativa quam morali exacte tradi solita dignoscuntur.

TITULUS I.

De sponsalibus, et matrimonio.

1. *Ratio ordinis rubricarum.* — Duas, uti ex rubrica patet, præsens titulus habet partes, de *Sponsalibus* nempe, et de *Matrimonio*. Quoniam vero sponsalia latius patent quam matrimonium, et hoc plerumque præcedere solent illa, hinc ordinem rubricæ sequentis, prius de *Sponsalibus*, postea de *Matrimonio* agemus.

§ I.

DE NATURA, AC DIVISIONE SPONSALIU, ET REQUISITIS AD EA.

2. *Sponsalia et sponsus unde dicantur.* — Non immoramur etymologiæ sponsalium; notissimum enim est, sponsalia a spondendo derivari ac dici l. 2 et 3, ff. de *Sponsalib.*, quia mos erat apud veteres, quod qui uxorem ducere cupiebat, eam prius ab illis, sub

quorum cura et potestate existebat, parentibus v. g., tutoribus, amicis, etc. peteret, qui dein petenti etiam in matrimonium dare spondebant, seu promittebant, ex quo proin illi, qui petitam sic promittebant *sponsores*, ea vero, quæ promittebatur *sponsa*, id est promissa, ille, qui spondebatur, *sponsus*, et dies, in quo spondebatur, *sponsalis*, dicebatur, cit. l. 2 et 3, ff. *de Sponsalib.* ibi: « Sponsalia dicta sunt a spondendo, nam moris fuit veteribus stipulari, et spondere sibi uxores futuras: unde et sponsi sponsæque appellatio nata est. »

3. *Sponsaliorum varia acceptio.* — Quæritur I. Quid, et quotuplicia sint sponsalia? Ante responsionem notandum, quod licet prima hujus quæsitæ pars de natura, posterior vero de divisione sponsalium sit, tamen pro majori intelligentia prius variam sponsaliorum acceptionem, sicque divisionem ejus cognoscere oporteat. Sciendum itaque sponsalia varie ac præcipue tripliciter sumi. Videlicet *primo*, omnino improprie pro arria, seu muneribus, quæ sponsæ dantur a sponso, arg. l. 1, c. *Si nuptiæ*, ex rescript. ibi? « Vel sponsalia, hoc est, arrharum data nomine reddi sibi deponunt. » *Secundo*, minus proprie pro ipso matrimonio rato non tamen consummato, arg. c. *Sicut*, 22, et c. *Si inter*, 31, h. t. ubi propterea, sicut et passim in jure matrimonium ratum sponsalia de præsentibus dicitur ad distinctionem sponsaliorum proprie talium, quæ non sunt ipsum matrimonium jam rite contractum, sed sponsio seu promissio de eodem in futurum contrahendo, et propterea sponsalia de futuro dicuntur ad distinctionem sponsalium de præsentibus. Atque hæc est tertia, eaque propria acceptio sponsalium, de quibus prima pars rubricæ, ac præsens quæstio, ad quam:

4. *Sponsalia proprie talia seu de futuro definiuntur.* — Resp. Sponsalia proprie dicta, de futuro nempe, « sunt mentio, et repromissio futurarum nuptiarum. » Hæc definitio habetur, l. 1, ff. *de Sponsalib.* quam doctores communiter amplectuntur, eo quod conveniat cum definitione data can. *Nostrates*, 3, cau. 30, q. 5, ibi: « Sponsalia futurarum sunt nuptiarum promissio: » licet enim in his non vocentur repromissio, id est, reciproca seu mutua promissio, tamen ex contextu citati canonis satis clare patet, quod per *ly promissio* mutua seu reciprocam promissionem intellexerit legislator,

prout etiam communis habet doctorum exinde etiam communiter docentium, de natura et essentia sponsaliorum esse « mutua et reciprocam » promissionem factam ab utroque sponsalia contrahentium, tam sponsa nempe, quam sponso, ut infra n. 15, magis patebit. Hinc clarior, ac facilius apparet definitio, quam tradit Bosco noster in *Theologia sacramentali*, disp. 11, *de Contractu et sacramento matrimonii*, sect. 1, conclus. 1. Dicendo: « Sponsalia sunt mutua promissio matrimonii. »

5. *Ad valorem sponsalium requiritur promissio seria. Actus agentium non operantur ultra voluntatem eorum.* — Quæritur II. Quænam requirantur ad valorem sponsalium de futuro? Resp. plura requiri. Patet inductione. Nam I. requiritur quod non sit ficta et simulata, sed « vera ac seria matrimonii promissio, » animo ac intentione sese obligandi facta. Sanch. *de Matrim.* lib. I, disp. 9, n. 5; Bosco, loc. cit. conclus. 5; Zoesius, h. t. n. 29; Pirhing, eod. n. 4; Lessius, *de Jure et Just.* lib. II, n. 58, et plures apud Sanch. cum communi, et hodie certa; arg. l. *Obligationum*, 3, ff. *de Act. et obligat.* Ratio patet, tum quia ficta promissio non est vera promissio; quæ tamen est de essentia, seu pars essentialis sponsalium, ut liquet ex definitionibus datis; tum quia deest consensus internus, sponsalia vere contrahendi, ac sese obligandi; consequenter nulla sunt sponsalia, nullaque obligatio, arg. c. un. h. t. in 6, ubi sponsalia dicuntur « nulla ex defectu consensus. » Et can. *Ubi non est*, cau. 30, q. 2. Nec sufficit, quod ficte promittens exhiberit consensum saltem externum; quia hic in solis verbis, verborumque, aut signorum externorum figura consistens sine formali consensu interno non valet, nec obligationem inducit, textu claro c. *Tua nos*, 26, h. t. l. *Simulate*, 3, ff. *de Ritu nupt.* et can. *Humanæ aures*, 11, cau. 22, q. 5, ibi: « Quia non debet aliquis verba considerare, sed animum et intentionem. » Unde etiam tritum habetur illud: « Actus agentium non operatur ultra voluntatem eorum, » l. *In Agris*, 16, ff. *de Acquir. rerum domin.* et l. *Non omnis*, 19, ff. *de Reb. credit. si certum petatur*, juncto c. fin. *de Præb.* cum concord.

Confirmatur. Obligatio promissionis surgit ex privata lege, quam sibi imponit promittens; atqui nulla lex obligat, nisi legislator obligare intendat, ut est communis

doctorum: ergo nec lex privata, quam promittendo quis sibi imponit, nisi per eam sese obligare intendat. Sanchez, loc. cit.

6. *Ficte aut jocosè promittens matrimonium in foro interno non tenetur servare promissum, bene tamen resarcire damnum inde secutum. Damnificans injuste tenetur ad restitutionem.* — Infertur, eum, qui certo scit, se non serio, sed ficte tantum, fraudulenter, dolose, aut simulate alteri promisisse matrimonium, coram Deo, et in foro conscientie non obligari ad servandum fictum hujusmodi promissum. Ita doctores n. præc. citati ob rationem, et jura ibidem allegata, licet ita promittendo peccet, et teneatur ad restitutionem damni, si quod alteri parti ex hujusmodi ficta promissione sequantur, eo quod omnis injuste damnificans, aut sua culpa damnum inferens teneatur resarcire damnum injuste illatum, ut habet unanimis per vulgaria juris ex tit. *de Jurejur. et damn. dat.* præsertim ex c. fin. ibi: « Si culpa tua damnum est datum, vel injuria irrogata, etc., jure super his satisfacere te oportet. »

7. *In foro externo quivis præsumitur vere promisisse: consequenter ad servandum promissum adigitur: nisi fictionem probet. Fingere nullus censetur.* — Pariter coram Deo et in foro conscientie ad nihil tenetur, qui ex joco alteri promisit matrimonium. Doctores, rationes, et jura n. 5. allegati. Dicitur autem notanter in præsentibus et præcedenti numero: « Coram Deo et in foro conscientie; » quia in foro externo semper præsumitur seria promissio, et propterea etiam ad servandum promissum condemnari debet promissor, nisi legitime probet jocum, fictionem, aut dolum: siquidem in foro externo « nemo existimandus est dixisse, quod non mente agitaverit, » ubi habetur l. *Labeo*, 7, § 2, ff. *de Supellect. leg.* Et « nimis indignum videtur, quod sua quisque voce dilucide protestatus est, id in eundem casum infirmare, proprioque testimonio resistere. » L. *Generaliter*, 13, c. *de Non num. pecun.* Hinc qui fatetur, vel convincitur, quod matrimonium promiserit, non liberat se ab onere promissum adimplendi, si dicit, se tantum jocosè, aut ficte promisisse, nisi jocum aut fictionem probet; alias quivis facillimo negotio sponsalia in foro externo eludere, et ex iis sibi incumbens onus nubendi pro libitu removere posset, dicendo: « tantum jocosè fui, » vel, « tantum simulavi, aut fictè promisi, » uti consideranti patet.

8. *Jocus facilius probatur quam fictio. Turpitudinem propriam allegans non est audiendus.* — Facilius tamen est, probare jocum, quam dolosam fictionem; tum quia jocus plerumque aperte patet, fictio dolosa autem studio absconditur, et ut serius actus ex industria simulatur; tum quia jocus honestus licitus est, et sine peccato fieri potest: fictio autem aut simulatio dolosa de promissione matrimonii sine gravi peccato fieri nequit juxta dicta, consequenter eandem utpote turpitudinem asserenti non creditur, nisi aliunde plene probet: « nam allegans pro se turpitudinem suam non est audiendus, » arg. c. *Inter dilectos*, *de Donat.*

Hinc licet, si promittens jocum plene probare non possit, sed ob circumstantias vel verba perplexa aut ambigua dubitetur, an promissio ex joco, vel serio sit facta, promittens ad juramentum purgatorium admitti debeat si perseverat, se tantum jocosè fuisse, nec habuisse intentionem vere promittendi; eo quod ordinarie in ambiguis locutionibus recurratur ad mentem loquentis, ejusque juramento stetur, arg. c. *Cum in tua*, qui *Matrim. accusare possint*, et c. *Pastoralis*, in fine, *de Except.* docetque Gailus, lib. 2, observ. 48, n. 24, et seqq. Felinus, in c. *Quosdam*, *de Præsumpt.* n. 6, tamen ad tale juramentum admitti non debet, qui liberare se volens, dicit dolosam tantum ac simulatam fecisse promissionem ad obtinendum, v. g. usum corporis, quia turpitudinem propriam allegans jam suspectum se facit et indignum fide, sicque minus habilem, ut ei juramentum deferatur, per ea, quæ diximus lib. II. tit. XXIV, *de Jurejurando*, § 6. a n. 180. consequenter juxta sensum verborum ad ducendam eam, cui promisit, condemnandus erit.

9. *Ficte promittens negare cum juramento, quando liceat.* — Cæterum si fictè promittens bene videat, quod a parte altera, cui promisit, probari nequeat promissio eidem facta, absolute etiam cum juramento negare potest, se eidem matrimonium promisisse, hoc ipso, quod non vere sed fictè tantum promiserit, et non nisi ad sensum et mentem judicis interrogantis respondere teneatur. Judex autem reum conventum de promissione matrimonii, de vera et seria promissione, quæ ducendi obligationem inducit, interrogare censeatur, quam reus a parte rei, uti supponitur, minime fecit. Vide, quæ circa hæc diximus, lib. II, tit. XVIII, *de*